
1401



R. P. D.

A Z E D O

Cracovien. Exemptionis

Super Circumscriptione.

Lunæ 23. *Junii* 1777.

1 Quum perspicua undequaque sint Exemptionum Privilegia, quibus Religiosus Ordo Sancti Sepulcri Poloniæ, aliisque proximis in Regnis certissimè gaudet, trahique in dubium nec possit, Ecclesiam Oppidi Miechoviensis, cui præest ejusdem Ordinis Præpositus Generalis, ne in rebus quidem ad Curam Animarum pertinentibus Episcopi Visitationi esse subjectam, ut probant *meæ hodiernæ diei Decisiones*, hinc Episcopalis Curia Cracoviensis haud rectè

Præ-

Præposito Generali liberum suæ jurisdictionis exercitium prohibuit, Regulares Conventus Miechoviensis ab Officio, quo fungebantur, amovere tentavit, Parochiam eidem Conventui adnexam Generali Præposito illegitime collatam protestata fuit, Confessarios suspendit, Censuras publicavit, multosque alios actus peregit, quos recensere nimis longum esset. Horum autem omnium, similiumque Actorum Circumscriptionem jam pridem expostulavit Præpositus Generalis, utpote qui maximam & suæ, & Ordinis Universi exemptioni injuriam attulèrunt. Seorsim itaque hoc mane quæsivi = *An sit locus Circumscriptioni in casu &c.*, mihique *affirmativum* datum est responsum.

2 Semel ac *prima* ex memoratis meis Decisionibus constabilivit, Ordinem Canonicorum Regularium S. Sepulcri, eorumque Generalem Præpositum Miechoviensem immunem ab omni Episcoporum jurisdictione censendum esse, *altera* verò *Decisio* firmavit, Episcopum haudquaquam se ingerere posse in res Parochiales Ecclesiæ Miechoviensis, cujus in Monasterio Præpositus Generalis commoratur, hinc prono velut alveo descendit, circumscribendum esse id omne, quod in perniciem Præpositi Generalis, ac ejusdem Ordinis actum est ab Officialibus Episcopalis Curiæ Cracoviensis. Omnes enim sciunt, actus illos, quibus alterius invasa est jurisdictio, ope circumscriptionis esse confestim obliterandos, ne quid simile in posterum quispiam attentare præsumat, sicuti monuit Rota *in decis.* 132. *num.* 13., *& sequen. coram Cerro*, *& decis.* 429. *num.*9., *& sequen. part.* 18. *recent.*

3 Tantoque magis hac in specie decernenda erat circumscriptio, tum quia præfati Officiales adversus Præpositum Miechoviæ, & Regulares S. Sepulcri egerunt contemptis Apostolicis privilegiis, quibus maxima debebatur reverentia, præcipue cum illorum vi idem Ordo se qua exemptum eo usque custodiverat, sicuti ponderat Rota in *Ratisbonen. Jurisdictionis super manutentione* 15. *Junii* 1764. §.7. *cor. Emo Zelada*, tum quia iidem pleraque ausi sunt, etiamsi A. C. præmisso Monitorio ipsis valide interdixisset, ne adversus Apostolica Privilegia quidquam novi acturi fuissent. Qua in re cum Judicis inhibentis auctoritas læsa videatur, hinc nihil fieri poterat minus, quam ut iidem Actus in illius spretum gesti, proindeque jam ipso jure nulli abrogarentur, sicuti post *textum in cap. non solum in fin. de Appellat.* recte advertit *Rota in decis.*407. *num.*2. *cor. Peutinger*.

4 Nec ad rem pertinet Constitutio san. mem. Benedicti XIV. quæ incipit *Ad Militantis*, decernens, ut monitoria, atque

que

que inhibitiones nullum præstent Episcopis impedimentum, quominus in iis *præsertim rebus, quæ Curam Animarum concernunt*, libere agere possint. Principiò enim multa, quę Officiales Episcopi egerunt, non afficiunt Animarum Curam, Sacrorumque Administrationem, ac proinde quoad ea pertinet, statim intelligitur, extraneam esse Benedictinam Constitutionem. Nonnulli vero Actus, qui ad Animarum Curam spectare videntur, iidem referri debent ad Ecclesiam Miechoviensem. Verum in isto quoque casu nullam vim habet præfata Constitutio; ea siquidem pro certo sumit, quod est hic maxime controversum; pro certo enim supponit, Episcopo Cracoviensi jus esse inquirendi in Curam Animarum, quam in sua Ecclesia Miechoviensis exercet Præpositus. At visum jam est, nihil juris ipsum in eamdem habere Ecclesiam, propterea quod hujus Ordinis Præpositus ipse Generalis in ea residet, unde sponte sua consequitur, quod sicut Monitorium jure ac recte Cracoviensi Episcopo interdixit, ne Parochialibus quoque rebus ad Curam Animarum Ecclesiæ Miechoviensis pertinentibus sese ingereret, ita ejus Officiales non poterant in spretum illius ad recensitos actus devenire.

Et ita utraque &c.

ROMÆ, MDCCLXXVII.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum Permissu.